



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum

Wiestner, Jacob

Monachii, 1705

Titulus XXXVII. De Capellis Monachorum & aliorum Religiosorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62668](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62668)

tium & noviter inventarum, Religio-
num, sicut per erecta nova Monasteria
propagationem, sic etiam inventionem
solâ Episcopali approbatione fieri potuit,
verisimile est.

24. Verum, siue Religiones initiò spe-
ciali Dei, SS. illos Monachorum Patri-
archas, & istorum exemplò alios à mun-
danis cætibz & seculari conversatione ad
solitudines & asceteria vocantis revela-
tione, siue Summorum Pontificum aut
his inferiorum Episcoporum expressâ vel,
quod verisimile est, tacitâ solum appro-
batione stabilitæ sint, post memoratam
tamen & *cc. cit.* relatam Lateranensis
Concilii Constitutionem inventa nova Re-
gula & Religiosus Ordo institui sine se-
dis Apostolicæ approbatione non valet:
& illius ab ista nondum approbata pro-
fessio nulla est, ut in *c. Unic. cit.* notat
Glossa *V. Professionem*, & clarè colligitur
ex *c. Unico, de Voto in 6.* ubi Bonifacius
VIII. pro vera & Religiosa professione
eam duntaxat habet, quæ edita est in Re-
ligione, à prædicta summa Sede approba-
ta: propter cujus approbationis defe-
ctum à Joanne XXII. *Extravag. Unica,*
hæc Rubr. Religio Fraticellorum seu Fra-
trum de paupere vita, tanquam Secta &

non vera Religio, damnata & reproba-
ta, nulliusque momenti esse, decretum est,
quidquid sub ejus nomine est actum, *San-
tez Tom. 3. de Relig. lib. 2. cap. 16. n. 3.*
Pontius Lib. 7. de Matr. cap. 11. n. 8. &
Pirrhing ad banc Rubr. n. 29. & 31.

Eam autem & expressam approba-
tionem ad novi Ordinis Religiosi valo-
rem exigendi ratio iustissima fuit partim,
ut in Ecclesia Dei evitaretur confusio,
quam Religionum nimia diversitas parit,
quæ redditur *cc. cit.* partim vero gravi-
tas causæ; cum enim per novam Religio-
nem introducat nova forma vivendi &
tendendi ad Evangelicam Perfectionem:
& sub majoris Perfectionis & sanctitatis
vitæ prætextu aliquando, ut quosdam
Waldensium ac Fraticellorum, Hæresis
ortæ & non pauci à salutis semita in via
& præcipitia delati sint; ut pervertitis
seculis Fideles ab erroribus & spiritualis
ruinæ periculis magis removerentur, vi-
vendi normas & ad Perfectionem ten-
dendi vias, si quæ in posterum noviter
invenirentur, suo examini & approbationi,
tanquam unam ex causis Majoribus,
sedes Apostolica retinere, *arg. c. Ma-
jores 3. de Baptismo.*



TITVLVS XXXVII.

De Capellis Monachorum & aliorum Religiosorum,

SUMMARIUM.

1. Capella erymon;
2. Et vera significatio,

3. Pro celebratione Missæ erigi nequeant
sine consensu Episcopi.
4. In Ecclesiis Monasteriorum Missam
olim clericis Seculares;

5. Cum

5. Cum tempore ipsi Monachi celebrarent.
6. Parochia Monasteriis triplici modo unita reperuntur.
7. Unitas quoad sola Temporalia Clerici Seculares:
8. Unitas Plenò jure Vicarii etiam temporanei:
9. Hodie plerumque perpetui administrant.
10. In Plenissimo jure unitis Pralati habent jurisdictionem quasi Episcopalem.
11. Parochias administrantibus Religiosis socius:
12. Non tamen omnibus necessarium est adjungendus.
13. Ecclesiam, siam intra fines Parochia, huic subiectam, asserentium,
14. Et negantium vera Opinio:
15. Nisi eam sibi subiectam Parochus probaverit.

Pater Monasteria & similes domos ad totius Conventus sui habitationem comparatas Religiosi aliquando obtinent Capellas: de cuius nominis origine non parum variant DD. quidam enim cum Archidiacono in *can. Concedimus 29. dist. 1. de Consec.* id deducunt à verbo *Capio* & Græca voce *καπός*, denotante Populum; quòd hunc ad Divina confluentem capiat. Alii à D. Martini *Cappa*, ejus caput & corpus cooperiente, vel à *Caprimis pellibus*, quibus Altaria olim tegebantur, id derivatum volum cum Præposito in *can. Presbyter 8. dist. 27.* Verisimiliùs Tholofanus Syntag. *lib. 15. cap. 29. n. 1.* nomen illud ortum censet à voce Gallica *Chapelle*, denotante simplex rectum, quò Oratoria campeltria, lateribus undique patentibus, ut iis supposita Altaria omnibus essent conspicua, quondam tegebantur.

Quæcunque autem vocis origo & derivatio sit, in Jure & modernò usu significationem non eandem semper habet; cum aliquando Altare in æde sacra extractum; aliquando Sacellum sive adiculam sacram omnino sejunctam à templo, aut etiam isti adhaerentem: imò extractam in ipso, & plerumque unum, aliquando plura Altaria continentem, & non infrequenter cancellis ferreis, aut ligneis clausam, aut etiam in crypta seu loco subterraneo extractam denotet, Azor *p. 2. Instit. lib. 3. cap. 3. q. 2.* aliquando quamlibet Ecclesiam per se existentem, etiam Parochialem significet: dummodo non sit Collegiata, Barbofa ad hanc *Ru. Eric. n. 2.*

Ad Capellæ quomodocunque acceptæ, ac proinde non solum ad Ecclesiæ Parochialis, sed Sacelli etiam vel Altaris, in quo SS. Missæ sacrificium offeratur, erectionem opus est consensu Episcopi, *can. Nullus 25. dist. 1. de Consec.* cum generaliter sine ejus vel simili licentia locus vel res sacra aut Religiosa constitui non possit, *can. Omnes 10. causâ 16. q. 7. c. Adhuc 4. de Relig. domib. &c.* qui novum Altare in Ecclesia consecrata sine Episcopi permissione erigere præsumit, si Clericus, gradu suo dejici: si laicus sit, anathemati subijci jubeatur *can. Nullus sit. Frances de Eccles. Cathed. cap. 5. n. 283. c. cap. 16. an. 36.*

Dubium nunc primò est de Monachorum Capellis ultimò modò acceptis, sive de Ecclesiis Parochialibus ad Monasteria pertinentibus, per quos Missarum solennia & cætera Divina officia in iis sint peragenda. Quòd oritur ex *c. 1. ubi Urbanus III. populum ipsas Monasteriorum Ecclesias frequentantem non per Monachum, sed Capellanum sive Clericum seculararem, de Monachorum consilio ab Episcopo institutum, regendum decernit.*

Y y y Unde,

amovibiles constitui posse, clarè supponatur. Quæ S. Synodi decreta Pius V. *Constitutione*, quæ incipit *Ad exequendum, Cal. Novemb. 1557. edita* declarans excipit casum, quò Parochiis Monasterio suo unitis Prælatus per Vicarios amovibiles, ex suis Religiosis deputatos, & ab Ordinario approbatos deservire consuevit, *cit. Barbosa n. 190.* quia credibile non est, S. Synodum Prælatos ad Regulares suos perpetuò exponendos, & à vitæ Regularis obligatione quodammodo absolvendos compellere voluisse.

10. Tertiò modò, sive jure Plenissimò si Capella sive Ecclesia Parochialis Monasterio unita sit, in ea Divina peragi & Sacramenta populo ministrari debent per clericum Seculare vel Regularem, juxta tenorem fundationis vel receptam consuetudinem: & quia Monasterii Prælatus in tali Ecclesia exercet jurisdictionem quasi-Episcopalem, quoad clericum institutionem destinationemque, approbationem, visitationem & correctionem quidquam juris Episcopus diocesanus in ea non habet, *Panormit. in c. Cum & plantare cit. n. 5. Barbosa in c. Quoniam 21. de Privileg. n. 2. Laiman de Elect. Pralat. q. 208. & Pirching ad hanc Rubr. n. 4.*

11. Dubium secundò est, an Religiosus Capellæ sive Ecclesiæ Parochiali præficiendus exponi solus & sine Ordinis focio possit. In cujus Resolutione mirè variant DD. aliqui enim hunc, si possit, illi adjungendum affirmant indistinctè. Alii dubium resolvunt auxiliò distinctionis, plerique inter ipsas Ecclesias: nonnulli inter Regulares his præficiendos. Qui inter Ecclesias, his, si Monasteriis Plenò jure subjectæ sint, præficiendo Religioso, ad nutum amovibili, ejusmodi focium adjungendum: si ita subjectæ non sint, Religiosum in ea perpetuò instituendum sine sui Ordinis focio relinqui posse, vo-

lunt cum Anchorano *inc. Quod Dei 3. de Statu Monach. & Joan. Andr. in c. fm. hanc Rubr. n. 1.* Qui verò inter Regulares distinguunt, eos, si Monachi, Parochiæ sine sui Ordinis focio præfici non posse; si verò Canonici Regulares sint, eis non necessariò semper, sed si commodè possit, ejusmodi focium adjungendum censent. *Quam Glossæ in c. Quod Dei cit. V. Regimen, & Panormit. ibi n. 9. distinctionem priori meritò præfert Sanchez Lib. 6. Moral. cap. 6. n. 39. in fine;* cum hanc inter Regulares differentiam in terminis statuat *c. Quod Dei cit. textus: idemque apertè pugnet cum ea, quæ inter Ecclesias fit; quia c. cit. agitur de collatione plebanicæ perpetuæ, & ad Parochias quascunque, verbis jam expressis, c. Monachi 2. sub eadem Rubrica, & suæ significationis generalitate illam inter Parochiales Ecclesias distinctionem excludentibus, ut etiam advertit Pirching ad Rubr. cit. n. 18.*

Neque Monachis ad Parochiales Ecclesias regendas expositis unum duntaxat, ut Canonici Regularibus *c. Quod Dei cit.* sed plures focios adjungendos, clarè exprimitur *c. Monachi cit.* ibi, *Cum aliquibus Fratribus maneat, c. Ex parte 3. in pleniori ejus lectione, quam Gonzalez refert, & c. fm. hanc.* Quorum textuum iisque relati Concilii Lateranensis dispositio innovata est à Pio V. *Constit. cit.* exigente; ut Religiosi Mendicantes & Monachi, quando in Parochialibus Ecclesiis Vicarii constituuntur, cum focio saltem quatuor habitent, sed hoc postea mutatum & unum sufficere, decretum à Gregorio XIII. & à S. Congreg. declaratum est apud Garciam *cit. p. 11. cap. 2. n. 13. & Tamburin. de Jure Abbat. tom. 3. disp. 9. q. 18. n. 3.*

Dubium tertio est de subjectione Capellarum & Ecclesiarum, sitarum intra

Y y y y a fines

fines Ecclesie Parochialis; istius enim Rectorem sive Parochum super illarum subjectione intentionem in Jure fundatam habere, & exemptionem probandi onus in adversarium rejicere, cum Glossa in c. *Cum dilectus* 2. asserit Wagnereck in ejus c. *exogesi*, & non ita pridem Parochiarum Rectores, tanquam rem omnino indubitam, supposuerunt. Movebantur autem Imprimis textu c. *cit.* quod Ecclesiam Jure communi subiectam esse Parochie, in qua sita est, in terminis asseritur, & arg. c. *Constitutus* 6. & c. *Cum venerabilis* 7. de *Relig. domib.* quibus Ecclesia, intra alicujus diocesis fines sita, istius Episcopo subjiuntur. Dein c. *His que* 11. de *Majorit. & Obed.* ubi Ecclesia Cathedrali inferior, pro subjectione Capellarum intra suos fines sitarum agens, sententiam pro se tulit. Demum ratione; quia Fideles, frequentantes capellas & alias Ecclesias inferiores Parochialibus, ad has recurrere debent pro Baptismo, si ipsae fonte Baptismali careant, & pro ceteris Sacramentis. Unde cum hujusmodi Fidelibus etiam capellas &c. Ecclesia Parochiali subijci arguunt. Sed non satis consequenter, cum; quia ad Parochiales pro Baptismo & aliis Sacramentis recurrere etiam debent, qui frequentant Ecclesias exemptas: tum verò; quia Sacramenta à Parochia, intra cujus fines capellae existunt, recipere non tenentur istarum Presbyteri, ut notat Panormit. in c. *Cum dilectus* cit. n. 11. & nihil impedit, quò minus, sicut hi, sic etiam eorum capella immediatè Episcopo sint subiectae.

14. Quare meritò super ejusmodi Capellarum & Ecclesiarum subjectione pro Parochis & istorum Ecclesiarum Juris communis praesumptionem militare, cum Innocentio in c. *cit.* n. 4. & Panormit. cit. n. 11. negant Laiman in c. *Ex parte* 12. de *Rescript.* n. 1. & Pirrhing ad hanc Rubr. n. 7. propter textum c. *fin.* de *Offic. Ar.*

ebidia. quò iste, intra Archidiaconatus sui fines sita Ecclesia subjectionem praetendens, succubuit; quòd defectu in probatione subjectionis, luculento argumentò non assentientis ipsi Juris communis: Et, quò adversarii maxime nuntiantur, c. *Cum dilectus* cit. quia illo Ecclesie Parochialis Syndico, super subjectione Ecclesiae intra illius fines sitae agente, & adjudicata non fuit: nisi quòd Secretarium & Baptismum, quoad quae eam sibi deberi per adversae partis confessionem potuit probare, ut ibi notat Panormit. n. 3. & 11. Unde allegatio adversae partis in Juris communis assentientia se fundantis, continet falsitatem, ut observat Innocentius, ubi hoc Jus commune extra, à se asserens ignorari praesertim, cum c. *cit.* contrarium clarè delumatur.

Neque pro Parochis faciunt, *Cum* *stitutus* & c. *Cum venerabilis* cit. tenent quia iis sermo est de Episcopo sive Ecclesia Cathedrali: cui Ecclesiae & similia subijci, statuitur *Tit. praed.* n. 1. Minorem autem potestatem Parochi respectu Sacrorum locorum intra Parochia, quam respectu eorum, quae intra diocesis fines sita sunt, Episcopo competere, satis etiam manifestum est; quòd huic Jure communi subijciuntur Monasteria & hospitalia, autoritate Ecclesiastica intra diocesis erecta & instituta, c. *De Heredochis* 3. & c. *Adhaec* 4. de *Relig. domib.* quae Parochi, intra cujus Ecclesiae fines existunt, subijci, nemo facile affirmabit.

Cavendum itaque Parochis est, ne cum possessionis auxilio destituantur, super Ecclesiarum intra limites suos sitarum subjectionem licet facile moveant: cum illam valeant probare, v.g. quòd ex Parochialibus redditibus erecta, vel alias ei subiecta fuerit in fundatione, vel in eam jus potestatis privilegii, praescriptione vel alio titulo sita sit, quòd ut in c. *Ex parte* cit. de *Rescriptis* notant Felinus Panormit. & Laiman n. 1.